

unguenta. Primus occurrit mihi Paulus, sicut ubique solet, totus præsentis delibutus unguento. *Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor? (II Cor xi, 29.)* Felix anima facta sibi tanquam vas perditum, ut omnium miseras suas faceret, et in sua conscientia colligaret: totum se toti corpori Christi donaverat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrificeret. Sed et ille simplex, et rectus, et timens Deum, vide quomodo non secundum hominem, imo vero hominem, et, quod verius est, supra hominem ambulabat. *Oculus, inquit, fuit cæco, et pes claudus; pater eram pauperum (Job. xxix, 15, 16), etc.* Qui sic eum hoc unguento perunxerat, ut de misericordiæ thalamo largius irroratus exiret. Samuelem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saul, cum sciret illum longius ab oculis Divinitatis elongatum (*I Reg. xv, 35*). Non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irrepserat, fundens lacrymas, etsi non profuturas, tamen pias. David patricidam filium continua lamentatione plorabat (*II Reg. xiii, 37*), plorans in eo non carnis necessitudinem, sed fidei destructionem. Cerne quomodo Joseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres non jam ante fratrem, sed ante dominum assistentes, conscii proditionis, homicidii rei, fratricidii succensores. Videt eos Joseph, et omnium injuriarum immemor, dulcissimis fluitibus inundatur, et pietatis adeps qui intus latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat; reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem (*Gen. xlv*). Pene quin oblitus sim Moysen, adeo sacri liquoris hujus rore perfusum, ut totus ex eo superfundatur et profluat. Peccat Israel, et Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori; sed dissimulat

**A** Dominus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, et ferendi licentiam quærit a Moysen, qui Moysen fecit. *Dimitte me, inquit, ut irascatur furor meus contra eos, et faciam te in gentem magnam.* Respondit Moyses: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti (Exod. xxxii, 10, 31, 32).* Obstupescenda profecto dulcedo! Et principatum respuit gentis alienæ, et de libro viventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa.

9. Hæc sunt unguenta pietatis et misericordiæ, quæ a sponsæ uberibus eliquantur [al. eliciuntur], infirmitates omnes fugantia, profligantia passiones. Felix Maria unxit pedes Jesu: felicior eadem unxit caput auctoris: felicissima quæ rorem unguentarium toti corpori Christi præparavit. Considera quam vehementissimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Christum regem. *Domine, inquit, si tu sustulisti eum, dicito mihi, et ego eum tollam (Joan. xx, 15).* Quem eum, Maria? Cum de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias? Putasne quod in omnium cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut et in consistorio cordis tui? *Et ego, inquit, eum tollam.* Mira res! Hominem perfectæ ætatis; virum cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tenerima mulier portabis et tolles? Ardens et affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur. Quis desperare debeat, tanta peccatrice non solum veniam, sed et gloriam consequente? Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, et placatum nobis reddat Judicem nostrum amicum suum, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

## VENERABILIS GUIGONIS

MAJORIS CARTHUSÆ PRIORIS QUINTI

## EPISTOLÆ QUÆDAM

### ADMONITIO.

Tres Guigonis epistolas Horstius in Appendicem retulit, propterea quod Guigo ipse magnam habuerit cum Bernardo necessitudinem, ut patet vel maxime ex epistola 11 ad eum scripta. His tribus epistolis quartam adjicimus ex tomo primo nostrorum Analectorum. Animus erat ejusdem Guigonis Meditationes, quæ in Bibliotheca Patrum exstant, et primaria Carthusiensium Statuta, ab eodem scripta, etiam exhibere hoc loco. Verum nos ab ejusmodi consilio revocavit plus justo jam excedens alienorum Operum congeries. De Guigone plura ad Bernardi epistolam 11.

### EPISTOLA I.

**AD HAIMERICUM CARDINALEM ET CANCELLARIUM.**  
Monet duos esse hostes, quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum.

Domino et amico in Christo reverendissimo,

**D** sedis apostolicæ cancellario HAIMERICO, amici (si tamen dignum est) ejus, et sui Carthusienses fratres, terrena despiciere, et amare cœlestia.

Quam grata fuerit nobis vestra præsentia, etc. Vide Patrologiæ tom. CLIII, col. 595.

### EPISTOLA II.

AD HUGONEM S. MILITIÆ PRIOREM.

Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.

Domini et amicis in Christo charissimis ac reverendissimis, HUGONI Sanctæ Militiæ priori, et omnibus qui reguntur ejus consilio, servi et amici Carthusiæ fratres, spiritualium simul et corporalium christianæ religionis hostium victoriam plenariam, et pacem per Christum Domium nostrum.

Quoniam in revertendo, etc. Vide ubi supra col. 598.

### EPISTOLA III.

AD INNOCENTIUM PAPAM II.

Consolatur summum pontificem adversus schismatis molestias.

Domino et patri charissimo ac reverendissimo

**A** apostolicæ Sedis summo pontifici INNOCENTIO, servi et filii Carthusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem; suæque paternitatis devotam servitatem, et non necessarium licet obsequium.

Multas ad vestri apostolatus sacratas aures preces, etc. Vide in Innocentio II ad an. 1143.

### EPISTOLA IV.

AD FRATRES DURBONENSES.

De supposititiis beati Hieronymi epistolis.

Amicis et fratribus in Christo dilectissimis, LAZARO Durbonensi [priori, et cæteris in eadem eremo Deo famulantibus, Carthusiæ prior vocatus

GUIGO, æternam a Domino salutem. Inter cætera catholicorum virorum, etc. Vide Patrologiæ tom. CLIII, col. 593.

## ADMONITIO

IN LIBROS SEQUENTES DE VITA ET GESTIS S. BERNARDI,

Ubi de illustri genere ejusdem.

**1057-1058 I.** *Vix quisquam sanctorum est, qui tot rerum suarum gestarum præcones, tamque eximios et probata fidei scriptores habuerit, quam beatus Bernardus: cujus vitam et præclara facta tres auctores clarissimi, continuato sermone, quasi ex condito sunt persecuti; nempe Guillelmus olim Sancti-Theoderici prope Remos abbas, sed tunc monachus Signiacensis, Ernaldus Bonæ-Vallis in agro Carnutensi abbas, et Gaufridus ipsius Bernardi notarius; omnes quasi testes rerum oculati. His accesserunt alii post eos; Alanus episcopus Autissiodorensis, et ut alios posteriores prætermittam, Joannes Eremita, et multi alii recentiores: quos inter Philotheus, verum an fictum nomen monachus Claræ-Vallensis, Bernardi gesta carmine cecinit.*

II. *Librum primum de Vita sancti Bernardi, vivente ipso Bernardo, sed nesciente, scriptum fuisse diserte asserit in Præfatione ejus auctor Guillelmus, pridem Sancti-Theoderici abbas, sed tunc jam monachus Signiacensis cœnobii in pago Regitensi diocesis Remensis, ad quod desiderio solitudinis et quietis sese contulerat, testante Burchardo abbate Balernensi in subscriptione ejusdem libri primi. Tempus Guillelmi secessus Signiacum intelligitur ex chartaceo Sancti-Theoderici libro, in quo Helinus abbas, ejus apud Sanctum-Theodericum successor, anno 1135 primum nominatur. Quo anno inchoatam sit a Guillelmo liber iste, non constat. Certe post translationem monasterii Claræ-Vallensis in capaciorem locum, novamque ædium fabricationem, ex num. 34 et 62; itemque post schismata Ecclesiæ sedata, et confutatas hæreses, ex num. 40; adeoque post annum 1140, et forte post 1145. Porro ante Bernardum obiit Guillelmus, de quo plura in tomo V, in Admonitione præfixa epistolæ ad fratres de Monte-Dei, et in Notis fusioribus ad epistolam 85.*

III. *Vitam a Guillelmo inchoatam mortuo Bernardo persecutus est secundo libro Ernaldus seu Arnoldus abbas Bonæ-Vallis, non ejus, quæ in diocesi Vesontionensi; neque alterius, quæ in Rutinensi rdnis Cisterciensis; sed illius, quæ est in agro Carnutensi Nigrorum monachorum: ad quem Arnoldum extrema Bernardi epistola 310 scripta est, quidquid alii in contrarium sentiant. Vide notas fustores ad epistolam 310. Hunc librum adortus est Ernaldus rogatu Claræ-Vallensium, qui præ modestia hanc provinciam in ipsum rejecerunt, ut in Præfatione libri secundi testatur, qui opus imperfectum moriens reliquit.*

IV. *Superioribus duobus libris tres adjecit Gaufridus, non alius sine dubio quam ipsius Bernardi notarius: distinguendus utique a Gaufrido de Perona, cujus mentio in lib. vi, num. 16; itemque a Godefrido Bernardi consanguineo, et conversionis socio, postmodum priore Claræ-Vallensi, ac demum episcopo Lingonensi, qui tandem ad privatam Claræ-Vallensium vitam sese recepit, ibidemque mortuus est vi Idus Novembris anni 1164. Gaufridus vero in Præfatione trium sequentium librorum lugens scribit, post annos a sua ipsius conversione circiter tredecim, acerba morte ab se avulsum fuisse Bernardum; atque adeo Gaufridi conversio anno 1140 accidisse dicenda est. Is patria Autissiodorensis, ante suam conversionem Petri Abælardi discipulus fuit, et quidem clericus, ut patet ex libro Declamationum, cujus et ipse auctor est, num. 13: « Postremo et nos in clero fuimus. » Post conversionem Bernardi una cum Nicolao Claræ-Vallensi notarius, ac peregrinationum socius, dein Bernardo mortuo Igniaci primum, tum Claræ-Vallis post Fastredum abbas anno 1162, cui loco quadrienno circiter præfuit, ex Chronico Claræ-Vallensi apud Chiffletium: sed postmodum a suis vexatus, abbatiam dimisit anno 1165, et ad Fossam-Novam in Italia se recepit; ubi et abbas postmodum fuit, ac demum Altæ-Cumbæ, ut fusius in eodem Chronico legitur. Ibidem quedam ejus opera recensentur, nempe opus insigne super Cantica canticorum, Vita sancti Petri archiepiscopi Tarentasiensis, et plures alii libri et sermones. Exstat apud Baronium ejusdem epistola ad Henricum cardinalem et episcopum Albanensem, atque domini papæ vicarium seu legatum, scripta de quadam nova controversia, quam reversus in Galliam comperit, scilicet de substantia aquæ, quæ vino mista in calice offertur, an et ipsa similiter eum eodem vino in sanguinem Domini converta-*



tur. » Item ejusdem est libellus contra capitula Gilleberti Porretani Pictaviensis episcopi, quem libellum post libros de Vita Bernardi cum aliis ejus Opusculis referemus. Denique scripsit etiam contra Abælardum, ut mox dicemus, et sermonem edidit de sancto Bernardo inferius edendum cum ejusdem commentariolo in Orationem dominicam. An autem Bernardi Vitam, cujus fragmento tertio loco proferemus; secundamque partem libri sexti de miraculis Bernardi, præter libros tres jam memoratos, composuerit, nunc dispiciendum.

V. Quinque libri de Vita Bernardi mox dictis subjicimus libros duos de Miraculis ejusdem: unum, a variis auctoribus scriptum; alterum, ex Magno Exordio Cisterciensi collectum, atque ex fragmentis Herberti ex monacho Claræ-Vallensi archiepiscopi Turritani in Sardinia, qui libros tres de Miraculis suorum Cisterciensium composuit, editos apud Chiffletium. Prior liber Miraculorum dividitur in tres partes: quarum prima scripta est a Philippo monacho Claræ-Vallensi ac Samsonem Remorum archiepiscopum; altera, ab aliis Claræ-Vallensibus, quibus Philippus ipse hanc curam injunxit. Ex his unus est Gaufridus, 1059-1060 tertiæ partis item scriptor in epistola ad Hermannum episcopum Constantiensem, de miraculis scilicet, quæ a Spira usque Leodium a Bernardo facta viderat. Huic alia ejusdem argumenti succedit epistola Gaufridi monachi « magistro suo charissimo Archenfredo et utriusque capitulo fratribus suis uterinis. » Hunc porro Gaufridum eundem esse, qui tres posteriores Vitæ libros scripsit, non dubito. Neque enim assentior Carolo de Visch, qui hos libros Gaufrido notario tribuit; illam vero partem libri de Miraculis Gaufrido Autissiodorensi: quem a Gaufrido notario minime distinguendum esse probat Helinandus monachus in Chronico his verbis: « Hujus Petri, scilicet Abælardi, aliquando fuerat discipulus Gaufridus Autissiodorensis, qui multo tempore fuit notarius sancti Bernardi; qui inter cetera de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui pretium redemptionis nostræ evacuans, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, et amoris incentivum, etc. Benedictus Deus, qui mihi simul et vobis magistrum dedit meliorem, » Bernardum, « per quem prioris redarguit ignorantiam, et insolentiam consulavit: secundum quem tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentivum amoris, et sacrificium redemptionis. » (Apud Bernardum tomii secundi Opusculo XI, num. 25.) « Hæc et alia multa, » addit Helinandus, « dictus Gaufridus contra Petrum magistrum suum fortiter et catholice scripsit. » Ad Gaufridum Nicolaus Claræ-Vallensis scripsit epistolam 42, pro episcopo Aletensi. Hæc de Gaufrido aliisque vitæ prioris et miraculorum scriptoribus sufficiant: de aliis scriptoribus post ipsa miracula agendum.

VI. Non est prætermittendum hoc loco, Petrum Franciscum Chiffletium, Societatis Jesu presbyterum eruditum, anno 1660 Divione vulgasse Diatribam de illustri genere sancti Bernardi, ut ostenderet Romani Breviarii clausulam, qua sanctus Bernardus honesto loco natus dicitur, esse infra ejus dignitatem: cum illum utroque parente fuisse constat perquam nobilem. Diatribæ appendicem cum probationibus variisque monumentis adjecit. Hæc in pauca contrahere juvat.

VII. Tecelinus, Bernardi pater, « vir antiquæ et legitimæ militiæ, » id est, probate nobilitatis, quam equestrem vocamus, fuisse perhibetur a Guillelmo abbate, cap. 1. Huic agnomen erat Sorus, id est Sufbrufus, a colore scilicet capillitii, in diplomate Hugonis, secundi Burgundiæ ducis pro Cabillonensi Sancti-Marcelli monasterio: cui diplomati primo loco post Rainerium Ducis dapiferum subscribit Tecelinus ante Bernardum de Monte-Forti, Warnerium de Sumbornone, aliosque nobilissimos viros. « Guido de Acro-Monte, » testante Alberico Trium-Fontium monacho, « fuit ex parte matris frater Tesselini Sori de Fontanis, qui fuit pater Bernardi Claræ-Vallensis abbas; fuitque ex alia parte frater Ulrici, sub quo fundata est abbatia Morimundi. » Guidonis nobilitas probatur ex ejus conjunctione cum Hescelina domina de Mulleio, » Holdoini filia, qui Holdoinus « Gaufridum Jonæ-Villæ dominum habuit fratrem. » Hæc de linea paterna.

VIII. Ad maternam quod attinet, Bernardi mater Aleth seu Alaysia, quam tertiæ Vitæ scriptor unus Elizabeth, forte librarii errore, appellat, fuit « filia Bernardi Montis-Barri domini, viri potentis et magni secundum sæculi dignitatem, et ex antiqua, sicut asserunt multi, Burgundiæ ducum generositate trahens originem, » ut ex Joanne Eremita, quartæ Vitæ scriptore, discimus. In Necrologio Divionensis monasterii Sancti-Benigni, ubi primum sepulta fuit, simpliciter laica dicitur, efferturque hoc modo ejus memoria, « Kalendis Septembris obiit Alaysa laica: » quo nomine distingui solent in illo Necrologio etiam illustres personæ a sanctimonialibus. In hunc diem incidit festum sancti Ambrosii seu Ambrosiniani confessoris, teste Joanne Eremita, apud Fontanas celebrari solitum: quem nonnulli cum sancto Ambrosio Mediolanensi antistite perperam hic confundunt. Rainardus Montis-Barri dominus, Bernardi avunculus, et Alaysia germanus fuit. Tam illustre cum fuerit ex utroque parente Bernardi genus, non mirum si Guido ejus primogenitus frater « vir magnus » a Guillelmo appellatur in cap. 3; uxor ejus, « nobilis juvenula: » soror vero ejus Humbelina, « adolescentula nobilis, » quæ « cum comitatu superbo et apparatu » incedebat, ex cap. 6. Hæc ex Chiffletio. Quibus adde Galdricum, Bernardi avunculum, a Guillelmo vocari, num. 10, « potentem in sæculo, et in secularis militiæ gloria nominatum, dominum castrorum in territorio Eduensi, quod Tuillium dicitur. » Et Josbertus de Firmitate, quæ super Albam sita est. « vir nobilis, et secundum carnem » Bernardi « propinquus » erat, ex eodem Guillelmo num. 43. Denique Rainerius miles erat frater Godefridi, ex Priore Claræ-Vallensi episcopi Lingonensis, qui Bernardum consanguinitate attinebat. Porro Chiffletius probat sancti Bernardi paternum genus, quod a Fontanis appellationem habet, per Bartholomæum Sumbornionensem (quæ familia in veterum Burgundiæ ducum regum sanguinem, enubentis filiarum hæredis affinitate transfusa est) ad nostra usque tempora propagatum fuisse. Cætera quæ de illustri Bernardi genere apud eundem Chiffletium vel minus certa, vel minus necessaria videntur, consulto præterimus: hoc tantum addito, monasterii Claræ-Vallensis stemma, quod in scuto baltheum auri sive argenti, minii ductu gemino tessellatum præfert, non esse derivatum, et quidam volunt, a sancti Bernardi insigni gentilitio, sed a Campaniæ ducum familia, ex quibus Hugo Claram-Vallem fundavit; senas vero fascias ex auro et cyano dextrorsum obliquatas in margine purpureo, quod Cisterciensis Ordinis symbolum est, petiitum a Burgundiæ ducum familia, quorum maxime beneficiis et auctoritate Ordo Cisterciensis fundatus est. In fine hic monemus ea quæ ansulis in consequentibus offendes ab Horstio ex codice Campensi, vel a nobis addita fuisse.

## SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

# VITA ET RES GESTÆ

LIBRIS SEPTEM COMPREHENSÆ.

### LIBER PRIMUS.

AUCTORE GUILLELMO OLIM SANCTI THEODERICI PROPE REMOS ABBATE, TUNC MONACHO SIGNIACENSI.

#### 1061-1062 PRÆFATIO.

Scripturus vitam Servi tui ad honorem nominis tui, prout tu dederis, Domine Deus ipsius, per quem Ecclesiam temporis nostri in antiquum apostolicæ gratiæ et virtutis decus voluisti reflorere, eum in voco adjutorem, quem jam olim habeo incentorem, amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantumcumque spiraculum vitæ habens, et videns testimonium gloriæ et honoris tui tam præclarum et tam fidele mundo insolitum effulsisse, non det operam, quantumcumque potuerit, ne lumen a te accensum, tuorum quempiam lateat; sed quantum humano fieri stylo potest (quod melius ipse tamen per virtutem operum facis), manifestatum et exaltatum luceat omnibus qui sunt in domo tua? In quo cum ego jam olim vellem qualecumque ministerium agere vicis meæ, seu timore, seu verecundia prohibitus sum usque adhuc, modo quidem supra me judicans esse dignitatem materiæ, et dignioribus opificibus reservandam; modo etiam post obitum ejus, quasi supervicturus ei, melius hoc et compententius, deliberans actitandum, cum jam homo non gravaretur laudibus suis; et tutius id fieret a conturbatione hominum, et contradictione linguarum. At ille vigenus et valens, quanto infirmior corpore, tanto fortior fit et potens, non cessans agere digna memoriæ, et magna majoribus semper accumulans, quæ ipso tacente scriptorem requirant. Ego vero jam delibor, urgentibus infirmitatibus corporis mortis hujus, et membris omnibus incipientibus habere responsum vicinæ mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ; plurimumque timeo, ne sero me poeniteat tamdiu distulisse, quod, prius quam perefluam, velim omnimodis peregissem.

Sed et me fratrum quorundam pia benevolentia plurimum ad hoc impellit et cohortatur, qui cum Viro Dei jugiter assistant, omnia ejus noverunt, ingerentes, quædam diligenti inquisitione vestigata, plura etiam, quibus, cum fierent, ipsi interfuerunt,

et viderunt, et audierunt. Qui cum multa suggerant et præclara, quæ per servum suum Deus ipsis præsentibus operatur, et nota eorum religio, et schola magisterii ab omni me liberet suspitione falsi; adhuc etiam ad testimonium sibi adsciscunt probabilium auctoritatem personarum, episcoporum, clericorum, et monachorum, quibus fidem non habere nulli fidelium licet. Quanquam id superfluo dixerim, cum totus ea noverit mundus, et virtutes ejus narret omnis ecclesia sanctorum. Quapropter attendens divinæ laudis mirificam materiam omnibus se offerentem, neminem vero suscipientem, dissimulantibus eis qui melius hoc ac dignius poterant; suscepi in ea agere ipse quæ potero, non vanitate præsumptis, sed fiducia diligentis. [Melius tamen memetipsum in memetipso, et me ipsum comparans mihi, nequaquam totam vitam Viri Dei suscepi digerendam, sed ex parte; experientia scilicet aliqua viventis et loquentis in eo Christi, opera quædam exterioris cum hominibus conversationis ejus, quæ de ipso viderunt quibus hoc datum est, et nos quoque ex parte vidimus, et audivimus, et manus nostræ contrectaverunt. Cum enim hoc ipsum ex parte magna de se ipso sentiendum sit, quod de eo, qui dicit, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (Galat. II, 20); et alibi, *An, inquit, experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (II Cor. XIII, 3) non invisibilem illam vitam viventis et loquentis in eo Christi enarrare proposui, sed exteriora quædam vitæ ipsius experimenta, de puritate interioris sanctitatis et invisibilis conscientiæ, per opera exterioris hominis, ad sensus hominis exteriores micantia: quæ sicut omnibus scire, sic etiam quibuslibet utcumque scribere in promptu est.] Præsertim cum nec ipsa quasi accuratius digerenda, sed saltem in unum congerenda et reponenda susceperim: nec edenda vivente ipso, sicut nec scribuntur ipso sciente. Confido autem in Domino, quoniam.